

Martini Dobrizhofer *Historia de Abiponibus*

II. - De nativo Americanorum colore

Pictores Europaei hominem fusci coloris, distortis simisque naribus, minacibus oculis, vasto abdomine, a capite ad calcem nudum ac hirsutum, Fauno quam homini omnia similiorem, verbo monstrum hominis, pharetra, arcu, hasta vel clava armati, plumis versicoloribus coronati, dum penicillo exprimunt, videntur sibi Indi Americani germanam imaginem egregie feliciterque perfecisse. Et vero antequam Americam viderem, tales mihi Americanos ipse meo in cerebro depinxi; sed oculi meum me dedocuere errorem. Pictores quibus fidem adhibuit, Americanae gentis calumniatores palam dixi ac poetarum more fabulantes: Hi res sibi obiectas verbis pingere, illi penicillo fingere impune solent. Plurimarum nationum Indis innumeris a me comunis spectatis illa formae vitia, quae passim Americanis affinguntur, nusquam deprehendi. Si verbis diffidis, oculis, quaeso, crede meis. Americanorum nemo Aethiopum more niger est, nemo candidissimi, ut Germanorum, Anglorum, Gallorum plurimi, est coloris. Multi tamen multis Hispanis, Lusitanis, Italis candidiores. Id mihi exploratissimum. Vultu sunt Americani albicante, quae tamen albitudo apud nationes aliquas ad triticium, apud alias ad obscuriorem proprius accedit colorem. Quod discrimen iam caeli, sub quo degunt, regione, iam a vitae, quam profitentur, rationibus, iam a cibariorum, quibus aluntur, diversitate nasci experimur. Si enim, Ovidio teste, *'fuscantur corpora campo'*, Indos, qui solis aestibus patente in campo torrentur quotidie, fusci coloris plus habere oportet, quam alios, qui silvis nativis immersi sub umbra per omnem aetatem latent aeterna, ut nec solem videre umquam possint, neque a sole videri. Silvicolas eiusmodi vidi quam plurimos vultu tam candido, tam venusto,

ut haberi pro Europaeis possent, Europaea si veste ornarentur. Feminae prae maribus semper albiores, quia et rarius extra tectum praeunt, et si quando iter equo faciant, innato huic sexui pulchritudinis studio formae magis invigilant suae, quae ne solis ardore labefactetur, umbellam e struthionum plumis longioribus contextam vultui praetendunt suo.

IV – De avitis communibusque formae corrupteis

Pulchritudinis cura barbarorum etiam mentibus innata. Ast hunc in finem mediis utuntur, quibus pulchritudo omnis profligatur. Abipones profecto ornare se dum volunt, se turpant foedantque maximopere. Puellas puellosque elegantes passim inter illos videas, apta figura membrorum, coloris sermonisque ea suavitate praeditos, quam multi invideant Europaei. Verum haec illorum venustas fluxa est, ac ut in floribus, exigui aevi, dum enim adolescent, marcescunt. Nativa equidem illorum elegantia stigmatibus aliisque, quos referre aggredior, trecentis modis aboletur. Europaeorum quam multi pulchri esse desinunt, dum exterorum avidi imitatores peregrinos semperque novos comendi corporis modos venantur. Abipones formam depravant suam visuque terribiles esse incipiunt, quia antiqui moris tenacissimi et avitis maiorum suorum sanctionibus ad amentiam usque devoti. Illorum enim exemplo vultum notis variis insigniunt suum, quarum aliae utrique sexui communes, feminis propriae aliae. Spina acuta carni insculpuntur inspersosque vulneri recenti cinere nigrescunt, ac fiunt perennes. Crucis figuram fronti impressam, duas lineolas ad oculi utriusque angulum, aures versus protensas, quattuor praeterea lineas transversas, ac craticulae instar cancellatas supra nasi radicem inter supercilia pro insignibus velut gentilitiis vultu circumferunt omnes, et per illa a nationibus ceteris internoscuntur. Hos figurarum ductus spinis exarant vetulae non soli cuti, sed vivae carni impactis, quos cinis, ut dixeram, vulneribus cruore manantibus inspersus nigras reddit, nullo, aut modo aut

tempore umquam delendos. Hae quid figurae denotent, quid portendant, nescio, nesciuntque ipsi, qui his signantur, Abipones. A maioribus se suis hunc accepisse ritum, id solum norunt, et illis satis est.

[...] Stigmatibus, quae utrique sexui communia apud Abipones, haud contentae feminae et vultum et pectus et bracchia atris lineamentorum diversissimorum imaginibus compuncta gerunt adeo, ut tapetis Turcici similitudinem referre videantur. Quo magis patricia fuerit quaeque inter suos ac spectabilior, eo plus figuris abundat. At vero multo sanguine emitur barbarus iste ornatus, gemitibus constat multis. Audi tragoediam, et, si flere non lubeat puellarum cruciatum, ride nationis insanos ritus. Adolescentula ut primum naturae indicio nubilis declaratur, recepto iam more signari iubetur. In vetulae humi sedentis gremio caput reclinat suum. Ut pingatur, pungitur. Spinae pro penicillo, cinis cruori mixtus pro colore est. Dilaniatur, ut gentilium suorum more ornetur. Aculeis spinarum in carnem alte immersis artifex, sed crudelis vetula, alios aliis, figurarum linearumque ductus describit, tota mox ut facies sanguine diffluat. Quod si doloris impatiens vel ingemiscat misera puella, vel tergiversantis instar caput subtrahat, probris, satyris, vituperiis pessime onerabitur. *'Apage istam ignaviam'* furens exclamabit anus. *'Nae tu nostri generis labes es, ac monstrum, cui spinae titillatio tantilla intolerabilis! An nescis eorum te sanguine prognatam, qui vulnera in votis habent, atque adeo in lucris numerant? Tui te pudeat imbellis muliercula! Gossypio mollior videris. Caelebs moriere, nil dubita. Tam impudenter meticulosam, ecquisnam demum nostrorum heroum suo dignam coniugio existimabit? Quod si quieta mihi morem gesseris, ipsa te pulchritudine reddam pulchriorem.'* His vociferationibus perterrita iuvenula, ni sociarum fabula fieri, ni explodi palam omnium ore malit, nec hiscere audet porro, doloris acutissimi sensum silentio premit, fronte serena, compressis metu convitiarum labiis tolerat aculeorum laniatum, qui quidem non uno absolvitur die. Nam hodie spinis compuncta faciei parte una domum remittitur, ad partem faciei alteram, ad pectus, ad bracchia compungenda cras, perendie ac saepius revocanda. Interea

dum finis imponatur laborioso operi, per dies non paucos paterno sub tentorio clausa circumvallatur coriis bubulis, aura frigidior ne obsit. Carne, piscibus, aliis nescio quibus dapibus religiose interdicta vescitur pomulis quibusdam, quae *Kakiè*, *Roayamì*, *Nanaprahete* dicta dumetis innascuntur. Haec licet aliis non raro febris tertianae origo ad sanguinem tamen refrigerandum conducunt.

Hac tum plurium dierum inedia, tum cruoris quotidiana effusione exangues pallescunt adolescentulae. Mentum non punctulis, ut aliae partes, sed lineis rectis uno spinae ductu exaratur, ac finditur. Quae quidem lineae eiusmodi sunt, characteres musici illis inscribi ut possent. Spinae quaecumque venenatum quid habere videntur, hinc dira earum impressione oculi, genae, labia horrendum in modum intumescunt, illitisque sauciae cuti cineribus nigrorem tristem imbibunt, ut Stygiarum furiarum quampiam videre tibi videaris, dum puellam ex crudeli illa vetulae officina prodeuntem cernis, adeo iam sui dissimilem, ut vel invitus exclames: '*O quantum Niobe Niobe distabat ab illa*'. Illius aspectu ad miserationem ipsi saepe moventur barbari parentes, quin tamen de abolendo immani hoc ritu cogitent umquam; opinantur equidem per hanc spinarum laniationem filias suas ornari simul, simul ad ferendos subinde partus dolores erudiri praepararique.

xv - De Abiponum moribus, consuetudinibusque

Non omnia, quae apud Barbaros, barbara. Ex fimo elegans saepe flosculus, ac inter spinas rosa nascitur, ut bona mixta malis plerumque; sic Abiponum nativis vitiis virtutes quaedam consociantur, Christiano nomine prorsus dignae. Ex multis memorabo praecipuas ita tamen, ut vitiorum non obliviscar. Tota corporis conformatione quantopere decorum fervent Abipones, aegre crediderit Europaeus. Ex eorum vultu, ac incessu hilaris quaedam, modestia, virilisque gravitas elucet, quam suavi tamen comitate norunt temperare. Nihil solutum, nihil petulans, vel asperum eorum in actionibus deprehendas. Quotidianis in

congressibus pacata, tranquilla omnia. Vociferationes inconditae, altercationes, aculeata dicteriorum mordacitas nusquam locum habent. Amant facetias sermonis, sed a quibus omnis abest obscaenitas, acerbitasque. Diurnas, nocturnasque itineris molestias festivis confabulationibus condire solent, quin tamen, quod spurcitiam oleret, unquam salibus aspergatur. Si quae interdum controversia incidat, serena fronte, sedata oratione sententiam quisque profert suam. Numquam, quod quibusdam Europae populis solenne, in clamores, minas, contumeliasque erumpunt. Hae [144] quidem laudes ad Abipones sobrios pertinent. Temulenti enim, excusso scilicet rationis freno, amentes, sibi que ipsis dissimillimi evadunt. Caeterum suis in conventiculis urbanitatem colunt maxime. Alter alterum loquentem vix audet interpellare. Uni per semihoram aliquando belli eventum quempiam enarranti caeteri omnes non aures dare modo attentas, sed et ad singulas prope sententias annuere solent, ducto ex intimis praecordiis rhoncho, qui affirmationis signum, et assensus, quem identidem his interjectis vocibus significant. [...] Quin (scribere id me pudet) etiam remoto in campo alvi exonerandae gratia dum subsidunt Abipones, eminus transeuntes solenni interrogatione: *Miekaue?* quorsum? elatissima voce salutant. Mirabar saepe, illos non erubescere, cum caeteris in rebus singularem eorum verecundiam suspexerim. Toto certe, quod istis barbaris impendi, septennio observatum a me nihil, quo pudicae aures, casti oculi offendi possent. Quae quidem laus utrique sexui, omni aetati jure debetur. Mares polygamiam, uxorumque repudiationem maiorum suorum, caeterarumque Americae gentium exemplo licere sibi, arbitrantur. Perpauci tamen Abipones hanc sibi licentiam indulgent. Uxorum repudiatio, quam multiplicatio apud illos

frequentior. Quin in una per omnem aetatem coniuge acquiescunt permulti. Cum alienis, quas in conjugium non adsciverint, commercii quid habere, nefarium sibi, probrosissimumque putant. Hinc adulterium inter illos prorsus inauditum. Libidinum, quae Europaeis gentibus familiares, monstra huic nationi peregrina sunt, quin & ipsa earum nomina. Hilaritatem nativam vel vultu produnt pueri, puellaeque. Nusquam tamen has illis immixtas videris, vel confabulantes. [...] Balneorum in propinquo flumine usus per jucundus omnibus, & ni coeli procellosi aura rigidior terreat, quotidianus est. Ast cave, existimes: ut per aequor sirenes, delphinique iisdem saepe spectantur in fluctibus, sic masculos, foemellasque in eadem lacus, aut fluvii statione natate, lavarique. Abiponum e disciplina sexu discretos locus quoque discriminat, ac sejungit. Ubi foeminae aquis immergunt sese, illic masculini generis ne umbram quidem deprehendas [...]. Major haec, quam credi in Europa possit, barbarorum lenitas sed nobis exploratissima.

Hispanos, Indos, Ethiopas, vel ex his mixtos a se bello captos non ut servos vexant, sed, prope dicerem, filiorum instar comiter, indulgenterque habent. Si quid a captivo sibi praestandum velit, non imperantis, sed supplicantis voce id significat herus. *Si tibi lubuerit*, blande praefatur; vel *Misereare mei*, [149] *equumque mihi meum adducito Amamat groöhöchem*, vel *Grcuagiikàm, Yañerla ahöpegak tak nabörecbi ena*. Quantumvis tergiversantem, oscitantemve in heri obsequio captivum nec verbo, minus verbere plecti usquam vidi. Tenerrima est multorum, ac incredibilis suos in captivos pietas, beneficentia, fiducia. Hos ut vestiant, se nudant. Cibum sibi subtractum esurientes licet esurientibus his porrigunt. Alaykin Caziquii principis uxor vetula Captivo suo aethiopi, me inspectante,

equum apparavit, instravitque frequenter. Senicula alia Rebachigui Caziquii mater aegrotanti puero, captivo suo lectum cesserat suum multis noctibus, humique jacens misere in illius obsequium diu noctuque excubavit. Hac facilitate, hoc gratificandi studio captivos sibi devinciunt suos, ut, quotidiana quamvis praesto sit fugiendi opportunitas, de fuga ne quidem cogitent unquam, sorte sua contentissimi. Novi complures, qui dato pretio redempti jam, suamque in patriam reducti ad Abipones heros suos sponte revolarunt, quos jam ad venationem, jam ad bellum aliis inferendum sequuntur, nihilque pensi habent Hispano sanguine, quamvis ipsi Hispani sint, manus contaminare suas. Quantus hic mihi lamentandi campus pateret! Quot Hispani genere, a pueris apud Abipones educati, illorum ritibus, moribus, mille nocendi artibus imbuti Paraquariae, patriae suae, carnifices exstiterent! Quoties hi cruentis Barbarorum expeditionibus immani Christianorum cum strage conjunctis interfuerunt, non itineris tantum socii, sed & viarum duces, omnium rapinarum, caedium, incendiorumque participes, verbo, calamitatum publicarum instrumenta perinde, ut Lusitani, Hispani, Itali religionis sanctae desertores piratis Algiriensibus, ac Maroccanis ad intercipiendas popularium suorum naves egregiam navare operam consueverunt. Corruptionem [150] optimi pessimam esse, & ex vino meliori melius existere acetum hi scilicet exemplo confirmant suo.

XL - Quibus modis formidabiles se reddant Abipones, et quando iure formidandi sint (pagg. 429-430)

Natura meticulosi cum sint, artes formidabiles se reddunt.
Innatam aliis magnanimitatem Barbari iam strepitu

buccinarum, iam insidiarum astutia, iam incredibili velocitate, iam fucata ad terrorem facie, iam hirsuto versicoloribus plumis capite supplere conantur. Abipones certe, ut saepius memini, sive invasuri alios, sive ab aliis invadendi his artibus uti consuevere, quas illi hostis territandi instrumenta existimant, ego rectius nativi eorum timoris argumenta sum interpretatus. Variarium avium plumis iam cristae instar erectis, iam coronae speciem referentibus caput insignunt, ad pugnam, veluti ad nuptias ituri, et iam de victoria certissimi, qua quidem fiducia observata hostem animos desponsurum arbitrantur. Haec plumis ornandi capitis consuetudo ut antiquissima, sic populis prope omnibus communis est. Galearum apicem plumis varii coloris veluti cristarum passim videmus. Hinc illud Vergilii (Aeneidos L. IX , v. 364) : *Tum Galeam Messapi habilem, Cristisque decoram induit* - Et alius alterius poetae : *Galeam quassant rubra minitantem vulnera Crista*. Quid quod Cymbri , Teutonesque praeter volucrum pennas hiantes, belluarum ferocium fauces galearum suarum sono adiecerint, ut in acie truculentiores viderentur (?) . Hunc sane in finem pyrobolarii Europaei, flos peditatus, mitram ursinam pelle horrentem ; Equites quoque petasum plumarum fasciculo insignem gestare solent etiamnum. Si Jovio historico credimus : *Cassanus Bassa* (qui quindecim millium Turcarum ductor Austriam superiorem est depopulatus) *erat inter omnes insigni Crista conspicuus. Fuit ea ab aurea vagina in fronte exurgens ala vulturis, quae ut ab omnibus nosceretur etc.* Ab aliis historicis non *Cassan* , sed *Hassan Bassa* appellatur .